



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Stipendium repudiat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

reddenda fuit accepti & dati ratio: nec minorem <sup>stipendium</sup> <sup>repudiat.</sup> ea re integritatis, & abſtinentiæ, quam in cetera adminiſtratione caritatis laudem ac prudētiam tulit. Numerarunt ei pecuniam, quam pro more ſoluunt Reſtori: ſed conſtanter negauit accepturum ſequiquam. Neque enim morem ſocietati eſſe præmiorum id genus ſperare, aut recipere ex laboribus, ac muneribus ſuis. Conuerterent ipſi, ſi uellent, eam mercedem in alios pietatis uſus. Abunde ſibi eſſe, quod in diem ſuppetat uitæ neceſſitati. Viſi ſunt perægre perſuaderi: ſed haud dubiè probarunt exemplum.

Maius inde certamen excepit. Adeo enim probata Viri opera in Reſtoratu: cum Cancellarij Vicarius deceſſiſſet, exarſerunt omnium ſtudia, ut Caniſius idem ſufficeretur, & ipſemet Albertus Bauariæ Dux, qui Guilielmo parenti uita perfuncto ſucceſſerat, ea de re quam potuit graues, & accuratas ad B. Ignatium literas dedit. Eſt autem Procancellarij munus eo loco ſatis amplum. Nam, quia Cancellarius Ingolſtadianæ Academiae idem eſt, qui Eiſtettensis Epicoſopus, cuius Dioceſi Ingolſtadiana quoque Ciuitas contributa eſt; & alia paſtoralis curæ negotia cum diſtinent, cuncta